

XXX

Parallela
ORATORUM
POETARUMQUE
veterum & hodiernor.

IN ILLUSTRISCHÖN-
AICHIANO

Auspicii & boni ominis
ergò adumbrata,

à

J. MELIDEO

Sagano Siles. Orat. & Poës.
Profess. Publ.

III. Non. April. An. Chri.
c 1777

TPIS JOH. DÖRFFERI
Typographi Schönaichiani.
Bethaniæ ad Viadr.





VV. Ill^{bus} & mag^{cis}

DN. MELCHIORI à RECHEN-

berg L. Bar. de Klitschdorff & Primkenau, Domino
in Schlavá, Wartenberg, Rottenburg
& Windischborau.

DN. CHRISTOPHORO GEORGIO
à Berg in Herndorff & Claden, Buræ, Freyvaldæ
Leipæque Domino, Judicii Regii in ducatu Glogov.
Assessori.

DN. JOHANNI à BERG IN HERN-
dorff & Neugabel.

DN. TOBIÆ à BRÉGOSCHITZ
& Schvvanensee, cognom. Sculteto, Bellaquimon-
tii & Hirschfeldæ Hereditario, S. Cæs. Maj^{ris} Consiliar.
& Commissario, Sac. Palat. Com. Fiscique Re-
gii per Silesiam & Lusat. infer. Patrono
J. C. celeberr.

Testamenti Bergeriani Exsecutoribus
amplifs.

Dominis & Patr. perpetuum honorandis

L. M. 2.

D. D.

Auctor.



426424



Ille^s mag^{ci}q; Patroni;



Avē, quam Theseus
cum juvenibus septenis toti-
demq; puellis, tributii nomine,
Cretam missus, & victor inde rediens, è
voto dedicavit; Athenienses postea in be-
neficij memoriam, ne vetustate collabe-
retur, partibus variè resectis & interpo-
latis ita servarunt: ut non magis Apollini,
quàm Immortalitati crederetur esse con-
secrata. Alcinous, Mæcenas aut Diocle-
tianus aliquis, qui Hortos suos novellis
subinde plantis feminibusquè superfoeta-
re facit, procul dubio Navem istam,
videret: sibi arborum sobolem perennem
fructusque vitæ utiles perpetuos ex Hor-
tis; Atheniensibus præter spectaculum
ex multiremi navi nihil provenire, gloria-
tus. Equidem fuisse navem illam admi-
rationi Posteris; etiam Philosophis de du-
ratione

ratione & incrementis rerum disceptantibus exemplo; proditum est: verum si consilium suspendendæ navis conservandæq; expenditur: haud difficulter videre est: sæpè unam Navim erectâ, quàm centum Hortorum culturam Reipubl. conducibiliorem esse. Percellunt Generosum animum, & ad imitam inflamman virtutes Majorum postumæ: nec Themistoclem Marathoniam Miltiadis tropæa stertere permittunt.

Navis tamen illa est: sunt horti: merito, *Patroni*, vestro multis nominibus imparia. Vos, secundum sanctissimi illius Herois, *Dn. Joach. à Berge p. m.*, [cujus beatis manibus justa, ut decet, facere, beneq; precari convenit] voluntatem ultimam, educatis & sufficitis Patriæ viva instrumenta: quibus sincera Religio, & illibatus Literarum honos ad Posteritatem ceu per canales perpetuos transmittitur: quibus Disciplinæ à carie, à vetustate, ab interitu vindicantur. Vos ne Cathedræ Doctoribus;

bus; Curia Consiliis; Juventus Magistris destituatur, curatis. Gratuletur sibi de Seminario tanto; de Curatoribus Patria: & persuasum habeat, supremam hanc Mundi senectam præsentiore recreamento refocillari non potuisse: quàm Herodum istiusmodi Zelo: per quos Respubl. literaria possit

bilare grandescere ad auctu

Paulatimque gradus et atis scandere.

Hujus vestri beneficij me quoq; esse participem, non dissimulo; imò, ut par est, glorior. Vestro auspicio & stipendio; Præceptorum ductu, prima mihi tyrocinia non infeliciter obita, aliud ex alio incrementum, profectusq; dedere non contemnendos: usq; dum in hanc fui militiam auctoratus. Nunc ergo Patriæ redditus, & ab *Jl. Schönauichio, Domino & Patrono clementi* in Professorum hujus Gymnasii ordinem cooptatus, præter morem & decorum egisse videri meritò possem: nisi ejus Horti, cui à vobis

Crescendi magnum immixtis certamen habenis;

primi-

primitias in vestra deponere arā. Nempe
vestrum illud *εὐεργετήματα*, ex Obligationis
conceptæ formulā me non tantum hīc
fistit; sed jubet etiam *ἀντιδωρεῖσθαι*. In utroq;
autem vestri meriti granditas; gratitudi-
nis meæ necessitudo evidenter militant.

*Filius Hæsiæ Princeps Mauritius Dominus meus Clemen-
tissus literati S. seculi Phœnix;*

*Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstinxit stellās exortus uti æthereus Sol;*

me benignè habebat, & ad operas
Principali Gymnasio addictas efficaci gra-
tiā animabat: debebam ob ea istis im-
mori servitiis: cum tamen huc evocarer;
fides olim data, me inde abstractum, huc
conclufit. Nunc essent quoque, quibus
meritò has primitias consecrare; quippe
τῆς εὐεργεσίας ἀντιδωρεῖσθαι πανταχῶ νόμιμόν ἐστι:
sed merita vestra prima conatum pri-
mum sibi vendicant.

Non nemo *τῆς ἀντιποδοσε* exilitatem
ventilabit! Rex Persarum potentissus &
ipse Persicę potentiæ Domitor haustulum
aquæ

aquæ pomumve regiā sunt profecuti hu-
manitate: vos à vestro Cliente, quod
quodam modo dedistis, recipere dedigna-
remini? Hortulanum vel solus subnascen-
tium herbarum aspectus delectat: labo-
resque exhaustos pensant, futuros e-
dulcant fructus cum voluptate percepti.
Sic vos Patronos, isthæc è Clientum ve-
strorum novalibus florilegia, messes-
que literariæ demulceant, excitentq;: ut
Hortū hunc, in quo æterna Religionis &
Literarum plantaria, eò contentiore accu-
ratione colatis; quò indies

Major honorata cultura gloria crescit.

Solet omnibus thesauris potior ef-
se literis quæsitā immortalitas: quæ ni-
si omnibus æquè contingit; quæ-
renti tamen semper est laudi. Quic-
quid nobis à magno illo rerum Arbi-
tro destinatum: certè in id laboramus:
ut beneficium vestrum per nos sit im-
mortale: de quo prædicetur, quod de
Alcinoi ficibus & oleis:

Ἐλευθερίως καὶ ἀνδρείως, ἐν ἡμετέροις.
 Feliciter valetē & regnate *Jll. Patroni*, & me
 vobis proporro commendatum esse
 finite. Bethaniæ v 11. Cal.
 August. A. Chr. ∞ 10 CXVII.

Jlli Magtīz vestræ

devotiS.

Melidēus.



D. O. M. A.



Uod felix faustum & universis salutare Jehova Opt.
 Max. esse jubeat : demandati muneris provin-
 ciam cum bono Deo aggressurus : si *prisci Ora-*
tores ab Jove suo bene orsi sunt ; & excellentissimi Va-
tes à numine aliquo principia traxerunt : meliore for-
 mulâ & more cum inaugurationis hic sollemnis ritus peragendus
 sit ; præliminari verè devotionis sacrificio auspiciari fas esse duxi.
 Ac principio quidem, tibi ô *Deus*, in cujus fide & manu sumus,
 supplex gratias ago, quantas animo concipere possum maximas :
 quod verbi tui limpidiſſimi rivulos in huncuſq; Germaniæ angu-
 lum exundare : quod tam angustum & splendidum Sapientiæ tem-
 plum nobis aperire ; quod sub dulci istâ & amenâ *bella Quercus* um-
 brâ Musis sedem assignare sis dignatus : quod deniq; me per diffi-
 ciles illas lubricasq; vitæ Juvenilioris salebras in huncuſq; locum &
 lucem deduxeris : humilimè divinam tuam Majestatem orans : ut
 Illustris Gymnasil Illustris Patronum, tum etiam Patres
 & Cives ejus universos diu salvos & incolumes serves, & om-
 nibus vitæ famæque beneficiis perpetuum frui finas : porro ut
 quæ operari in me & per me ceperis, benigno nutu perficere, ani-
 mumq; & vires novâ hac Spartâ dignas sufficere digneris : quò om-
 nia dicta & facta ad nominis tui excelsi gloriam, ad Generosiss.
 Nutritii gratiam & famam, Ecclesiæ deniq; & Reipubl. literariæ
 bonum & incrementum dirigantur. Hinc ad *Illustris Dni Schön-*
aichium, Patronum secundum Deum, maximum, me convertito : gra-
 tiasque ut par est, ago : quod ad stationem Oratoriæ, in Ill. suo
 Gymnasio recens feliciter instituto, obeundam me benevolè evo-
 caverit, numeroque suorum adscripterit : idem talem orans, ut quæ
 antehac gratiam aliis, qui in istâ sunt fide, ostendit, meis etiam prin-

*Val. Max.
 in Proem.*

cupiis indulgere dignetur : ut velut terrestriis alicujus Numinis tutelari ope fretus, cursus mei spacia ex animi sententiâ conficere, Spartamque creditam pro virili ornare queam. His ita à Deo Patronoque nostro impetratis, nihil obstiturum puto : quin tanto Favonio in secundius iter accepto, sacrificioque pro more peracto; plenis velis, quo me Mens Bona muneriisque mei conscientia ducunt, rectâ contendam; priscos Romanorum Duces imitatus quibus Exercitum educere, aut quicquid negotii publici private gerere, auggure, à quo rerum gerendarum auctoritas pendebat, inconfulto religio erat.

Quibus verò nunc verbis Vos, Patroni magnif. Patres veneradi, Cives universi, Corona honoratis.

alloquar? Quo orationis genere utar? Aut quid a d dicendum potissimum proferam; quod tam illustri confessu, quod hac ipsâ cathedrâ; immo quod principiis nostris dignum? Philosophi plerique nec non Augustus Imp. & superiori seculo Alphonsus Rex, ab operoso vestienti cultu abhorruere: Socrates etiam, & cum eo Seneca; uti generosum equum non ex freni & phalarum ornamentis; ita bonum Virum non è vestitu judicandum censuerunt. Nihilominus tamen ita ferè comparatum esse cum Judicio humano videmus; ut quo quisque habitu sese oculis hominum objiciat, ex eo laudis aut vituperii argumenta mereatur. Nec concepta illa animis opinio, etsi læva est aliquando & iniqua, tam facile obliteratur, quam imprimitur. Quamobrem non malè fecisse videbor: si temporis aliquantulam in eam curam infumsi; quo habitu & apparatus, & de quo verba ego ad vos primùm sim habiturus. Non equidem defuere variâ dicendorum silvâ; sed quædam ut vulgata, prætermisi vestri gratiâ; quorum aures teretes & religiosas Ciceronis verbo, id est delicatas & disertissimorum hæstenu declamatorum castimoniam delibatas noveram; quædam evitavi, ut sublimiora, ingenii mei verecundiâ cohibitus. Venit autem in mentem Parallelorum tuorum, *Excellentiss. D. DORNAVI, Fautor & Collega summo-pere colende*; quibus prisci præsentisque seculi mores velut in ta-

bella

bellâ luculentè depictos comparatosque dedisti. *Ἡὰ ἀφορμῆ* expro cogitare, num *industria scientiæ Paralleli* eadem ratione adumbrari possent. Non diffiteor: (& quis sanâ mente posset?) Nos in extremo jam Mundi senio versari: ipsamque Rerum Naturam velut invitam (quod est *ἀπιδερμημα γερουλανόν*) sustentationi sui sufficere. Sed nec illud negandum censeo: proniores semper fuisse languescantis Reipubl. mores in pejus; vitiaq; ex vitiiis communi contagione, velut diem ex die trahi. Nequaquam autem cum *Orat. de Vulgo* hic facere possum: quod Demosthenes *ἀσπερ ἐν θαλάσῃ, fals. leg. πνευμα ἀματάστων*, rem levissimam fluctibus marinis non absumilem; alius non contemnendus Auctor, cum puro puto nihili, aut *Cosm. Al-* si aliquid dicendum cum inani & levi cannâ, à quovis vento agitatâ *dana dif-* comparandum dixit. His etenim, siquid aliud, certè præsent *a corf. contra* sordent tempora; vetera omnibus modis & votis præferuntur, laudantur, optantur. Ac licet Poëtarum quorundam dictis, tanquâ post Ajacis scutum pugnantes suam imbecillitatem tueri veliat: nihil aliud tamen agere, quàm proprio se telo petere videntur. Quod enim Horatius, Ovidius, Juvenalis & Seneca de suo questi *Hor. l. 3. O. 6* sunt tempore: illud ut de senescente jam Româ verissimum; ita præ *Ovid. 1.* sentem atate opidò florentē censoriæ notâ aperte eximit. Profectò *Met.* ita se res habet: pro quo hodierni sui seculi Momi & arrosore, summo illi Temporum Governatori gratias agere singulares deberent: *Juv. l. 5. 13.* id non intelligunt stupidi, aut dissimulant improbi. Excutiantur *Sen. Thy-* quæso historiarum monumenta: quot bella, latrocinia, populationes, quot euentz persecutiones, quot hæreses, pestes, quot alimenterum pariter & consiliorum defectus, quot linguarum juxta *este.* & Imperiorum eversiones ubique Gentium, nondum cessantibus lacrymis deflentur? Fasti Populorum consulantur: quot dies, tot ferè infamia cernuntur facinora, & reâ Nomina. Sed nolo Camarinam movere: & Mephitico aliquo fæore modestioribus molestus esse. Sufficiat si Experientiam certissimam fidei faciendæ Magistram appellavero. Illa nimirum evincit, hoc in quod nos Fata serarunt, seculum, non modò nihil deterius esse priscis illis; sed esse non pauca, quibus sacromatis instar adhibitis, præponderet:

B 2

fi

Id. Val. l. i.

c. l.

Sueton. in

Aug. Macr.

l. 2. c. 4. Sat.

Panoramit.

l. i. de reb.

Alph. Æn.

Sylv. de

diff. Ej.

Stobæus

serm. de

prud.

Sen. l. 2. Ep.

47.

Æquum. Tutinatorem acceperit. Ut ex tam lato me expediam campo: mitto quæ hodie vigent, morum castigationem, imperiorum stabilimenta: non attingo varia egregiaque inventa, multarum artium ad amussim formationem; taceo. (sed tacendo gratulor) pacem diuturnam, publicæ privatæque rei passim incrementa; novam deniq; illam totius Germaniæ faciem, tam cultam, splendidam & augustam: sed duo tantum nominabo, ad felicitatem seculi nostri demonstrandam, puto, suffectura. Quæ illa verò? *Religio & Litere*, uno tempore ad miraculum Orbi effulgentes. Hæ ultima Mundi instar novi Solis illustrent, languentemq; Naturam jucundâ quadam ἀναψυχή refocillant, pristinumq; rebus decus mirando sanè successu restitunt. Quis ergo & seculo & sibi non gratuletur potius; quàm illi debitam laudem, sibi tanti beneficii usum invidet? Helleboro dignus, Anticyras navigare; aut cum Domitianò muscas venari; aut cucurbitas pingere deberet, qui non faceret. Ut etiam de Religione non multus sim: cernite quæso, in quem florem literæ hoc tempore effluerint: in quod stupendæ Majestatis fastigium post triumphatam dudum Barbariem, succenturiatâ tot Varronum operâ sint evectæ. Scio quosdam affirmare, proventum ingeniorum nullo unquam seculo uberio rem fuisse. Quin ausim dicere: *in tanto doctorum proventu inveniri, qui cum præcis illis Græcis Latinisq; in Oratoriâ & Poeticâ Principibus, non modo quadam tenus comparari; sed eisdem lauream quoq; dubiam facere possint.*

Nisi me oculi fallunt: quidam frontem corrugare: nisi mens lævum divinat; corrugatio ista asseverationis meæ arrogantiam notare, sententiamque in Veteres illos persunctoriè dictam tacitis suffragiis rescindere videtur. Apud Iassios insulares, cum Citharædi cujusdam cantum ut rem novam, primum quidem attentè audiissent; piscium verò vendendorum signo ære dato protinus abiissent: solus surdaster remansit: qui tamen à Citharædo gratias promorâ agente intelligens, æs jam sonuisse, & ipse indignabundus Musicum deseruit. Id ne mihi de argumento minimè populari diserturo, ominali: cujuspiam abitu eveniat: agite, *benevolentissimi*

Audi-

Auditores, parum temporis ad deducendum argumentum hoc tribuatis, præjudiciisque proscriptis, animo candido, linguâ favente, gratiam eam, quam priores hinc ad vos verba fecere experti sunt; mihi quoque lubenter impetiamini. Quod si, ut omnium spero, impetravero, faxo pro virili; ut non tantum arrogantæ temeritatq; me postulatam unanimiter absolaturi; verum ipsimet etiam in meam scientes volentes sententiam pedibus ituri, insuperq; Scto proposito declaraturi sitis: *adhuc hodie ejusmodi ingenia florere: qui eandem cum Cicerone Virgilioq; coronam, si certassint, mereantur.*

*Tu qui res hominum cunctas & verba gubernas,
O Eterne Deus; fœusto imple carbasa statu:
Atq; hinc post primo superata pericula cœsusu
In placido Cymbam portu, Nautamq; repones:
Ut tua suspensâ celebret benefacta tabellâ.*

Quod bene nunc vertat, solvamus. Ante tamen quàm nos vasto illi Oceano credamus, de lineâ filoq; cursus nostri, quod ad instar pyxididis nauticæ subinde inspiciamus, simus solliciti oportet: ne uspiam exorbitantes metam vel tardius, vel incommodius, quàm oportebat, attingamus: quod Peregrinantibus aliquando accidit, cum viarum divortiiis primùm exigui intervallur, ubi ista demum desinunt, longissimo spacio à recta differuntur; cautiùs evitaturi. Videamus ergo in quo sita, & unde sit vis illa veterum tam Oratorum, quam Poetarum: Et num hodie sint, Latini an Itali, Germani an Galli, nil refert; qui vim illam assequi & exprimere valeant.

Consistit autem unanimi doctorum consensu: dicendi facultas, cum in Verborum, tum in Resum concinnitate decora, elegantia, compositâ, & ut uno dicam ἐπεργῶ: maximè autem in Pronunciationis & Actionis εὐχρηστικῶν. Quod si autem Quintilianor credimus: in omnibus iis requisitis, quæ Oratorem perficiunt,

qui tolleret omne,

Nemo fuit, punctum, numerusq; absolvet omnes. Baud. Cent
Cicero ipse, quæ nam esset in vario Eloquentiæ habitu, præstantiss. i. Ep. 84.
sima dicendi forma, quæ sivit; invenire autem non potuit: magisq; Cic. d. Orat.

B 3

animo

Sraba l.
14. Cosm.

Synaf. Cir.
l. i. de
provid.

In proam.
Inst.

animo & imaginatione complexus, quàm facultate absolutum eloquentiæ characterem assecutus videtur. At nihil nobis inde negotii; de Ciceronis comparatione acturis; non de Eloquentiæ sublimitate: quâ si inferiorem se suo calculo Tullius prodiit: proximum tamen ad eam accessisse, omnium testimoniis suffragiisque; dudum est contestatum & iudicatum. Athenis Romæq; in usu fuisse legimus: ut virorum bene meritorum non integras descriptiones non familiam, virtutes, imagines, non omnia domi forisque; patratâ fortiter facinora; sed solam statuam publicè ponerent: sufficere famæ & immortalitati eorum rati; si quos voce fidibusque per convivia decantari Juventus audiret, eosdem ad vivum effictos quotidie cerneret. Simili nos compendio, ne omnes Oratoris; boni virtutes à Magistris in eâ arte præscriptas & decantatas ad amussim exsequi opus sit, unum Ciceronem tanquam ideam Eloquentiæ, & exemplar vivum inspiciamus: è monumentis ejus velut è statuâ positâ, quantum admirationis & gloriæ seculum illud cultissimum meruerit, cognituri.

Val. Max. l.

2. c. 1.

Catul. Ep.

47. A. Catina Sen.

Ep. 107.

Plin. l. 17. c.

5. August. l.

1. com. Leg.

Sen. Ep. 40.

Pat. l. 2.

l. 7. c. 30.

Ille ergo disertissimus Romuli Nepotum, omnium patronus optimus, Princeps copia atq; inventor eloquentiæ Romana, ipso Cesare teste: verborum vigilantissimus appensor, lux doctrinarum, à quo eloquentia existit, non immerito Cremutius Cordo divina dicta: illud fulgentissimum & celestissimum os (verba Paterculi) clarissimum caput, pane solus Romanorum animo vidit, ingenio complexus est, eloquentiâ illuminavit rerum, natura corpus. Hic ille est, qui ex humili conditione per omnes honorum gradus ad Imperatoriam lauream, ad fauces consulares beneficio linguæ evehctus est: qui si circumspectus factus fuisset, aut Reipubl. ipse occupare, aut ne ab alio facile occuparetur, beneficio linguæ efficere potuisset. Tale illud linguæ Ciceroniæ beneficium erat, ut Dione teste, dum in partes Romæ patrias plebeiasque differretur, cui accessura Ciceronis facundia esset, ab eâ stare victoria videretur. Sed Plinium ista acutius, ut solet, persequentem audiamus. *Te dicente* (exclamat ad Ciceronem) *legem Agrariam, hoc est, alimenta sua abdicaverunt tribus; te suadente Roscio theatralis auctori legis ignoverunt; notat atq; se discrimine*

mine sedis equo animo tulerunt; Te orante proscriptorum liberos honores petere puduit: tuum Catilina fugit ingenium: tu M. Antonium proscriptisti. Salvo primus omnium Pater Patriæ appellatè, primus in rogâ triumphum linguaq; lauream merite, & facundia Latiarumq; literarum Parens, atq; (ut dictator Caesar hostis quondam tuus de te scripsit) omnium triumphorum lauream ad apte majorem, quantum plus est ingenii Romani terminos in tantum promovisse, quam imperii. Hactenus ille. Sed unde, dicetis, orationis forensis vis tanta & tot miracula? Non verba hic superstitiosè metimur Ciceroniæ, quæ totius orbis iudicio lætissima & numerosissima: non res è ditissimis Græcorum Latinorumque penu speciosas venamur: sed præter verba, præter res aliud quiddam divinius esse & occultiusprehendimus: quod partim in actione verbis rebusque conformi, concionique accommodatâ, partim in Auditorum favore situm esse auguror. Plinius secundus idem miratus, & rîmatus, copiosissimum ingenium & parem ingenio materiam Ciceroni fuisse scribit: quam tam varietas verum, quam magnitudo largissimè suppetebat. Ut expeditius ista tractentur, duo Plinius tangit; artem in Cicerone; occasionem ostentandæ artis in Populo. Illam Naturâ, Præcepta, Imitatio & Exercitamenta perfecere; hanc splendidissimum frequentissimumq; Reipublicæ Principis forum & celebratâ illa Rostra dedere.

Naturâ Ciceroni ingenium fuit extra omnem ingenii aliam, præfat. ad (Plinii testimonio) positum: & quod solum, teste Senecâ, Populus Vespas. Romanus per imperio suo habuit. Præceptorum abunde non Græc. Sen. Rhet. l. canicæ solum scholæ; sed Oratores & Rhetores apud Romanos 1. proem. etiam excellentes suppeditaverunt. Eo enim seculo, si Senecæ credimus, quicquid Romana faxundia habet, quod insolenti Græciæ opponat aut præferat, circa Ciceronem effloruit. Omnia ingenia, inquit, quæ lucem nostris studiis attulerunt, tunc natâ sunt. Quis nescit Græchos, Antonios, Catulos, Brutos, Catones, Hortensios? Ab his Præcepta & imitandi ratio propagata est. Felicitati certè eorum temporum dandum est: quod non tantum omne genus præstantissimos Græcæ literaturæ Auctores habuere: sed insuper linguam vernaculam penes Eruditos castigatissimam florentissimamq; sed & tales.

l. 9. Ep. 2.

1. proem. d. l.

etiales & tantos quisque viros, ad quorum effigiem, felici emula-
tione, suam pueritiam formare, totiusque animi vires componere
possent. Dialogi de Oratoribus auctor è Bruto allegat: Ciceronem
apud Q. Mutium jus civile didicisse: apud Philonem Academicum,
apud Diodotum Stoicum omnes Philosophiæ partes penitus hausisse:
neque his doctoribus contentum, quorum ei copia in Urbe con-
tingerat, Achaiam quoque & Asiam peragrassè; ut omnem omni-
um artium varietatem complecteretur. Quid verò de exercitatione
dicam; quæ solà Cicero noster insignia illa Naturæ & institutionis
dona consummavit. Memoriam enim proditum, exemplo magni
illius Demosthenis; qui Cicerone teste, *Natura impedimenta pri-
mum superavit; deinde Satyrum histrionem Magistrum in eâ arte ha-
buit; & ad grande speculum vultus, manuum, corporisq; totius gestum
examinavit*; prodiit, inquam, Cicerone Roscio Comædo, &
Æsopo Tragædo operamita dedisse; ut aliquoties cum ipsis Hi-
strionibus contenderet, utrum isti eandem sententiam gestibus plu-
ries variarent; an ipse per eloquentiæ copiam verbis diversis pro-
nunciaret.

l. i. de Orat.

*Plut. in
Cic.*

Idem ibid.

*Camerar.
p. i. hor. c. 31.*

Idem Juvenis adhuc, cum sub Syllæ dominatu post defensum
Roscium evitandæ invidiæ causâ in Græciam secessisset: corporis
viribus, ante non satis firmis exercitatione confirmatis, habitu va-
letudinis bonæ parato, & voce, quæ ante copiosa quidem, sed aspe-
ra & rudis, ita formata, ut & dulcis & copiosa in aures infunderet, &
corporis statui congrueret: frequenter cum ipse sese declamando
exercuit; tum Nobiles Oratores frequenter audivit: ejusdemq; rei
gratiâ Asiam & Rhodum petiit. Hæc peregrinatio quantum pru-
dentia & Judicii acumini conduxerit, luce meridiana clarius. Sed
& domi Cicero opibus suis immensum auctis liberaliter, & sobriè
usus est, convictores admittens Græcos Romanosque, qui in libe-
ralibus studiis, una versabantur. Quæ conversatio unice Bonæ Men-
tis & Prudentiæ nutricula esse inter doctos consuevit. Præterea in
corpore curando minimè negligens fuit; ut hoc modo corporis vi-
res & habitudinem ad subeundos fortioresque labores, citra invaletudinem
induraret. Hinc videre vobis proclive, è quibus hic Heros fontibus

bus nectareum illud eloquentiæ divini flumen eriverit. Favor
postea totius populi, arrectæ omnium aures, imminentesq; animi
arcano quodam mentis incendio in insolentem panem sui fiduciam
eum pepulere. Non ejus rei ignarum fuisse, verba ejus liquidè
monstrant. *Semper, inquit, Oratorum eloquentia moderatrix fuit in Orat.
Auditorum prudentia. At non Cares, Phryges aut Mysos, quos opi- Ibid.
mum & tanquam adipale dictionis genus auribus suis adferuisse abidem
testatur, auditores habuit: sed Romanos terrarum dominos, ex om-
ni Orbis parte pulcherrima quæq; videre & audire assuetos. Hos
observantissimos Ciceronis fuisse ex Honoribus maximis ei decre-
tis videre est: quippe Patrem Patriæ & Conservatorem indigitare:
supplicationem ei decernendam censuere: & ab Exilio reducti omnium
ordinum applausu totus populus obviam ivit. Sed illa vivo contingere. Quintil. l.
Ergo admirationem auget id, quod Florus refert; Civitatem la- 2. c. 17.
crymas tenere non potuisse, cum recisum Ciceronis caput in illis suis ro- Plut. in Cic.
stris videretur: nec aliter ad videndum eum, (notate ferventem favo- Dio.
rem) quam ad audiendum concurrisse. Præcipue, inquit Cordus, sol- Fl. l. 4. c. 6.
vit pectora omnium in lacrymas gemitibusq; vita ad caput Ciceronis deli-
gata manus dextra divina eloquentiæ ministra. Cæterorumq; cades
privatos luctus excitaverunt, illa una communem.*

Intelligitis, Auditores, quid præter ingenii artisque beneficia
auditorum favor, foriq; dignitas contribuerit ad excellentiam
Oratoris tanti absolvendam.

Nunc tempus est, postquam satis ostensum Ciceronem,
quantum ingenio concessum humano, sublimissimum Eloquentiæ
gradum ascendisse: ut videamus, num quis hodie inveniat, quem
in tantâ sublimitate consortem, Imperiivæ collegam ipse Cicero
non dedignetur adsciscere. Sed hic statim occurret, qui è Silio og-
ganniat: non reliquisse Ciceronem.

Par decus eloqui cui quam sperare Nepotum.

Ego verò non primus sum, qui Ciceronem cum aliis comparem.
Olim id factitatum non multò post Ciceronis tempora: & fortassis
ipso vivo. Certè Seneca innuit, *Calvum cum Cicerone litere de elo-
quentia principatu, sed iniquissimam habuisse.*

C

Ego

l. 1. Ep. 29. Ego Gracchus (scribit de se Plinius.) & Catoni Pollionem, Casarem, Calium, imprimis M. Tullium oppono. Idem Asinii Galli librum de comparatione Patris (putate Plinii Majoris) & Ciceronis allegat. Quid multis? Poeta Poetam opponam: qui Plinii lucubrationes non veretur.

Mart. l. 10. Epigr. 19.

** Arpinis quoque comparare chartis.*

in discursu de Monar.

Ceterum quia supra non tam ab Arte sive Virtute, quam ab Occasione (quas duas causas cum tertiâ, fato sive nutu divino conjunctas, ad res agundas requiri Campanellius ingeniosissimus scriptor egregie monstrat) Oratoris vim & dignitatē pendere diximus: hic primum dispiciendum est, habeantne hodierni Oratores omnia, quae Cicero habuit ad consequendam Eloquentiam adminicula, an iis destituantur.

part. 4. Sylo. c. 2.

Internorum autem principem locum Natura, & Ingenium, quod animi vires complectitur, meretur. Petrus Messias docet, *è sideralium influxionum impressione fieri: ut provinciae Urbesq; Viris & Virtutibus aliquandiu florentes, successu temporis ignavos improbosq; Civēs progenerent.* Quod, equidem uti de quibusdam verum puto: ita si quis de universo corpore intellectum velit, falsissimum futurum esset. Ut ut enim, quod supra levi digito attigimus, Natura ad extrema properet: vastaeque illae operum humanorum granditates sensim velut nubes urgente sole decrescant: non inde tamen consequitur; etiam ingenia populorum quasi languescere, & à veteri felicitatis filo, totidem gradus, quod sol juxta quorundam opinione à tramite suo, descere. Vero simile esse nemo non videt, quod quantum robori corporum decedit, tantum animorum acumini accrescat. Dato ergo corpora hodie non tam grandia & enormia procreari (rationes idem Petrus eruere conatur) at priscis illis Terra filiis, de Gente Enakim Gigantibus, corporis moles, detrimento animi fecit. De Psalmista malorum *μαλακίαν* designaturus, ventres, vitulos, boves nominat. Est etenim corpulentæ molis obest; as an mo gravis, negotiis inutilis, lucubrationi & studiis plurimum inimica. Congra sub matilento tenuique corpusculo, quali Ciceronem fuisse Plutarchus auctor est, ingentes saepe numero ani-

l. 1. s. 1. c. 1. Camerar.

Hor. p. 1. c.

82

in Cic.

mi

milatent. Senum attrita vires maturitate consilii; animiq; firmitate rependuntur. Unde apparet, senescente licet Mundo, decrefcente licet atate; ingenia hominum tamen non decrefere, non fenefcere: sed florere, surgere, vigere. Et quis dubitet? dubitanrem inventa noviter varia efficacissime convincent: quae Bodino judice, cum Majorum inventis conferri, pleraque debeant anteferri. Ut omnia ea, quae non ignobilis quidam Auctor peculiari libello recensuit, omittam: quo medio, amabo, omnes hodie disciplinæ rogatae & militares ad tam exactam *angelicam* redacta; ad tam sublime fastigium sunt evecta? Nonne ingenio hominum praesentium? Quid immmania illa bellorum monstra ad acutos istos, si dicere fas dolos & furta contraxit? certe ingenium: à quo hodierni bellicarum rerum inventores nomen peculiare merentur. Quid Orbem universum penetrabilem reddidit, Asiam & Africam, & hinc remotissimas Americae partes cum Europâ ceu ponte junxit? Ingenium. Quid Astrorum Caelique figuras emendavit? Quid Medicinam Chymicis experimentis locupletavit? Quid Politiarum statum firmavit, familiarumque res auxit? Quid doctorum tot monimenta, qui sunt fuere & erunt, tantâ industria, facilitate & copia, æternitati per typos consecrat? Quid adhuc artium omnium & scientiarum emendationem & perfectionem molitur? Omnia ingenium. Ingenium per omnes seculorum decursus, quicquid nobile, utile & memorandum; quicquid humanæ noticiæ divinitus destinatum unquam fuit, suo quasi sinu complectens, de Ignorantia Socordia & Barbarie devictis expulsi, hodie hodie veros adornat & agit triumphos, adeo illustri exemplo: ut nullo unquam ævo, nullâ hominum memoriâ de simili constet. Quanquam singulari Dei consilio fieri credo: dum militans Ecclesia durat; quod quaedam imperfecta incertaque remaneant: quod Piorum mentes tantò cupidius celestem Academiam, in qua verè omnia consummabuntur, desiderent, oculosque ab hac Mundi colluvie subinde ad aeterna illa & divina attollant. Certum tamen est: quantum Deus scire Mortales hæcenus voluit; tantum hodie sciri. Et qui fieri posse putatis: cum omnes disciplinae hodie per tot divina inge-

Meth. hist. e. 7.

Panciroll. in nov. rept.

nā sint quān̄ castigatissima & elaboratissima : ut sola Oratoria,
 sola Poësis, à quo excolatur, & pristinae dignitati & flori restituatur,
 ingenium non inveniatur? Profectò qui hoc statuit, eum statua
 esse per Iovem lapidem jurare ausim. Sunt ergo reverà hodieq;
 viri, quibus Natura ingenium, Eloquentiæ idoneum non negavit:
 quo, si cætera ad consummandam dicendi facultatem subsidia sup
 petant, & tertias & secundas & primas quoque in eo genere obri
 nere queant. Quæ verò sunt illa cætera ad Eloquentiam subsidia?
Institutio & Exercitatio : quæ Ingenium excolunt, mores expoli
 unt, iudicium acuant, memoriæ firman̄t, latera & spiritum robo
 rant, gestum habitumque corporis accommodant, & reliquas om
 nines corporis vires formant : ut singula rebus dicendis agendisq;
 paratæ evadant. Quod si hæc quoque hodiernis ingeniis compe
 tere ostenderimus : pedum via facta esse sine dubio videbitur. Quis
 verò ab omni literaturâ tam alienus esse potest : qui nesciat, ex quo
 Latina Lingua à Barbarorum injuriis vindicata, suoq; nitore resti
 tuta ; in omnibus prope cultioris Europæ angulis Scholas institu
 tas, in quibus Juventuti lac eloquentiæ Romanæ instillatur : tantâ
 curâ & diligentia, ut si operas suas mediocriter urserit, & à primâ
 ætate exercitiis insudaverit, in spem progressusq; laudabiles post
 modum adulescat?

Sed dicat aliquis, non eadem apud omnes viâ & commoditate
 procedit : veteres illos exquisitissimos doctores habuisse : hodie re
 periri hunc quidem Magistrum doctum fidelem, illum verò igna
 vum & inertem, Præceptoris potius umbram, quàm Præceptorem.
 Quasi nimirum id pertractandum susceperim : quæ erudiendæ Ju
 ventutis ratio esse debeat : & sint ne omnes, qui ludum frequentant,
 vel ad docendum, vel ad discendum idonei. Hoc quæstionis
 nostræ est : si non multi, an hodie unus sit & alter, cui tantum Præ
 ceptorum Magistrorumq; suppetat, ut eorum merito ad Eloquen
 tiæ culmen aspirare queat. Et quis hoc neget : cum non Magistri
 tantum vivi, boni viri, & prudentes, & docti ubiq; adsint ; sed & mu
 ti. Veterum illorum *Ciceronis, Quintiliani, Horatij, Apphoni, Severi
 riani* ; sed & recentium *Magn. D. Treutleri p. m. Erasmi, Sturmij,*

Talai.

Talai, Dresseri, Cl. Liebigii Collegæ & Amici magnopere colendi
 & plurimū quàm numerari in præsentiarū possint, non contemnen
 dæ institutiones ferè innumera? Hinc quid verba ornet, quid res
 concinnet & amplificet, quid gratiam venerit, affectus cieat, quid
 Auditorum animos, Gallici Herculis more, linguæ devinciat &
 mancipet, abunde petitur.

Adde ipsa eloquentiæ exempla : quorum suebrationes le
 gere, ambitus & sententiarum nervos exprimere, mores gestumq;
 simulare absque fraude licet. Ita Cicero, cum se totum ad imita
 tionem Græcorum contulisset : teste Quintiliano, effinxisse vim
 Demosthenis, copiam Platonis, jucunditatem Isocratis videtur. l. 10. c. 1.
 Enimverò quid Mater artium Græcia, quid nutrix Eloquentiæ Ro
 ma reconditum habet, quod nobis hodie non penitus pateat & ser
 viat? Ut verborum phrasiumque vasta ista volumina, quæ instar
 Oceani cujusdam universas linguas absorptas complectuntur, tacea
 mus : rerum copiam paraturum quid moratur? Logica instrumenta
 quis desiderat? Habet *Aristotelem* cum numerosissimo commenta
 torum Satellitiis : habet *Ramum* cum suis pedissequis. Rerum na
 turalium scientiam quis optat : habet eosdem duces : habet *Goeleni
 um* Virum de totâ Philosophiâ optimè meritum cum ingenti disci
 pulorū manu. Qui ad abdita Metaphysices adyta admitti cupit : is
 eximio *CL. Crucigeri* opere, quod non minore cum bono studio so
 rum, quàm desiderio, propediem prodibit, viam sibi ceu favente,
 Mercurio paratam existimet. Cælestium corporum motus qui
 scrutatur : is nostri sæculi *Ptolemaeos, Copernicum, Tychonem, Keple
 rum* sibi deligat. Qui practica : *Bodinum, Machiavellum, Kecker
 mannum, Kirchnerum*, & horum vestigia secutos sequatur : ne no
 minem Historicos ex omni ævo præstantissimos. In Medicina *Pa
 racelsi, Zvingeri, Hartmanni, Bauhini* occurrunt. In Jurispru
 dentia *Donelli, Vultejii, Gueddei, Gothofredi, Cujacii* eminent.
 In divinis tot reformatæ Religionis lumina & miracula resplendent.
 Hæ sunt officinæ, hi fontes è quibus limpidiissimas divinae humanæ
 que sapientiæ aquas haurire cuivis concessum. Adeò, in tantâ Præ
 ceptorum librorumq; omne genus abundantia, si quis mediocriter

rem suam curaturus sit, ut copia rerum eum destituat, nullo est modo metuendum. Arbitror itaq; satis demonstratum & ab ingenio & ab institutione, hujus seculi homines juvari: ut nisi quid deinceps obsiterit, facillimè Veteribus æquari possint.

Plat. in Cic. Præterea autem *Exercitatione* crebrâ & accuratâ vivendi ratione Ciceronem in eum evasisse virum diximus. Hic autem aquam nostratibus hæere non nemo putabit. Quid tamen gloriæ seculo nostro detractum iri æstimatis: si plurimi, non qualem decet operam Oratoriæ navant: si paucissimi à tenero ungui meditentur, quæ ratione dicendi vim illam assequantur. Non ignoro, Germanis ab Italici quibusdam probro dari: quod plerique non uni se arti aut scientiæ totos dedant; sed has illas, desultoriâ levitate vagabundi, non dicam discant, sed vix leviter tentent, & primoribus labris attingant. Cui sententiæ refragari ut animus jam non est: ita putotamen ad Germanorum ingeniorum eximiam laudem facere. Nempe si qui se totos uni Oratoriæ, aliive arti dedent; futurum, ut in eâ excellant: cum inveniuntur, qui in pluribus palmam ferunt. Enimverò fuere, & adhuc sunt, qui exercitatione multoq; usu & labore eam sibi laudem vendicent. Neminem vestrum esse autumo: qui minimùm non semel in vitâ, insignem aliquem declamatorem vel Concionatorem (nam ad hos hodie Eloquentia viva redacta) audierit. Atqui eundem non talem natum, sed labore & exercitatione indefessâ factum dubio procul cognovistis. Ubi Natura, ingenium, memoria, ubi corporis habitudo; ubi Magistrorum Præceptorumq; dexteritas suas agunt partes: si exercitatio quotidiana accedat: quæ non stupenda dies miracula prodat? Vidimus Schoenobaten sese in aëre librantem, ad modulos *εὐρύθμως* saltantem, totoq; corpore pronum (cum horrore memini) solis unius pedis digitis se continuisse: vidimus aliorum prodigiosos saltus: vidimus Hippobaten (si sic dicere fas) prodigiosè luxuriantem: vidimus etiam equos, cercopithecos, Simias, immò urfas & leones non domitos modò & cicuratos, sed actionem aliquam humanam simulare ad miraculum. Id enim exercitatio quotidiana præstat: ut *βασίλιν* natus feras, non assuefactas & doctas diceret.

τῆς ἐπιμελείας ὅπλα πάντα γίνεταί.
Et Philæmon velut è tripode

πάντ' ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐάν μὴ τὸν πόδον

Φίλημον τις ὅς πρόσκει τοῖς ἑρτυδαίοις.

Quicunq; ergo tam discendo quam æmulando ingenii memoriæq; vires excutere, Prudentiâ, (quâ Cicero plus sapiusculè quàm linguâ meruit) acquirere, judiciû acuere, gestum motusq; corporis, linguâ demum, & mores ad dicendum parare; qui verborum elegantia afferre, sententiarum gravitatem; periodotû justa & composita pondera metiri; qui deniq; rerum & materiarum copiam delectabilem adhibere cupit: is si cuncta apud unum non reperit Magistrum; singula apud singulos quaerat: nulli labori sumtuive parcat; peregrinetur exemplo Ciceronis; audiat Domesticos juxta, & Externos: eosq; cum Veteribus illis comparet: inde sibi verâ Eloquentiæ exemplar, quod sequatur & assequatur, comparaturus. Antiqui, & ipse Cicero, etsi Latina lingua vernacula ipsis; multo tamen labore ad Eloquentiæ decus pervenere. Adeo linguæ usus eos parum aut pæne nihil à nobis differt. Sicut n. Germano Oratori linguæ vernaculæ usus minimè sufficit; cum ea vulgo impura, horrida, soluta & cuilibet dialecto obnoxia sit: sed is stilum ad Curiarum & Dicasteriorum morem formet necesse est. Luce meridiana clarius est, eorum librorum Germanorum, qui typis vulgantur, stilum cum nullâ dialectorum penitus congruere: sed videri peculiare idiomâ quoddam, non absurdè cum communi Græcorum lingvâ comparandum. Simili apud Romanos modo, latina vulgaris non sufficiebat Oratori: sed necesse erat, ut is aspiraret ad puritatè illam, qualem Eruditi quotidie elaborabant, à vulgari sorde longè remotam & alienam. Hæc dilucidius demonstrari possent: nisi rationem temporis nunc habendam meminissimus. Cum ergo hujus seculi viri, nec Ingenii & Naturæ viribus careant; nec Præceptorib; Præceptisq; nec Exemplis nec Exercitiis destituantur: quæ rerû perveritate, quæ Novercæ Fortunæ invidiâ, quis iis derraheer illud ipsum, quod unucè per hæc Naturæ Artisq; subsidia cõparatur? Sed restat unum adhuc *Occasio* nimirum, hoc est, non quæ in Oratore ipso requiritur vis & prudentia; sed quæ extrinsecus ab Auditore affertur, commoditas.

Non ignorare a. vōs arbitror: mōre seculi hujus Eloquētiā divi-
nā usum in angustos nimis terminos redactū esse. Postquā n. gran-
des illā Respublicā liberā; Oratorum suorū, & Demagogorum con-
cionibus duci ad suētā desiere: jamque Status, quem vocant, civilis
longē alia ratione, miro sanē ubique temperamento, administretur:
pomposa, celebrēs & decantatae Oratorum conciones foren-
ses (quae praeceptum Oratoris manus olim) sensim aboleri & pro-
scribi capere. Ac quamvis in Legationibus Principum, nec non
in consiliis, quales Gallorum, Anglorum, Hispanorum & Polono-
rum sunt. Curiae, vestigia quaedam sint reliqua: cum Atheniensium
tamen Romanorumque Foro comparari vix ac ne vix quidem de-
bent. Maxima autem antiquae Eloquētiā & Eruditionis specimi-
na, stilus Literatorum, doctā & ingeniosā commentatione, cerā &
libris mandavit: Actione veteri, cui Demosthenes primas secun-
das & tertias tribuit, sic dudum neglectā: ut Pancirollus eandem
inter Vetera deperdita recensuerit. Si mihi dicendum est, quod
sentio. Oratorium munus à Causarum Patronis & Demagogis
antiquis, hodie in solos Concionatores, publicarumque celebra-
tum Buccinatores translātum dicam: nisi quis umbratilia Schola-
rum annumerare velit *γυνάσματά.* Quae verò hic, bone Deus,
mutatio! In Templis nunc & Scholis & Umbris quaerendi, qui He-
roibus istis comparentur! Quidni haec ipsa Occasionis penuria, quae
hodiernos affligit, nec tali cum pompa in ora vulgi transmittit: si
iusta rem trutinā perpendimus, non tantum nihil detrahīt nostratibus;
sed vel maximē decus gloriāque conciliat. Tantō enim ef-
ficacior laudabiliorque eorum conatus aestimandus: quantō per
angustiores tramites, difficilioresque aditus, viam sibi ad altum il-
lud aeternae famae delubrum aperiunt & firman. Ridiculum pro-
fecto foret, si quis hodiernis bellorum Ducibus prudentiam, forti-
tudinem, gloriāque militarem abjudicare velit: propterea quod
prima stipendia in Alexandri, Scipionum vel Caesaris castris non
fecerint. Eodem quoque modo risum aut commiserationem me-
rereitur, qui Scaligeros, Muretos, Sturmios disertos & eloquentes
negaret: eo quod Athenis aut Romae veteris caussas non perorarent.

Cum

Cum indubitatum sit: si urbes illae adhuc florent: non defore,
qui in Foro, Senatu Rostrisque *grandiloque facultatis majestate*
(verba sunt Martiani Capellae) *tonarent.* Licet ergo externo hoc be-
neficio nostrates destituti sint: non omni tamen occasione carent:
quin immo, si quae in ipso homine Oratore esse debent, in his etiam
reperiantur, ubi ubi se tandem ista vis exferat, in templis an scholis,
in foro aut umbris, satisfactum tamē Bonis Doctis videbitur. Non
equidem inficias eo: non parum animorum, non parum dignitatis
& efficaciae, ex Auditorum dignitate & amplitudine subministrari:
& insigne Ciceroni, Gracchis & reliquis invitamentum ad dicen-
dum fuisse: quando viderunt totum populum Romanum con-
fluere; sibi; dicturis, animo auribusque obediētissimis assurgere,
finites aut aliquando festivē appositeque moventes faustis accla-
mationibus excipere. Tunc Cicero & quis quis fuerit,

Ibat avans animis, & grandia quae movebat,

Et per tentabant acrem nova gaudia mentem.

Tunc, (verbis Poetae te alloqui fas sit, Tulli;)

ita capta lepore

Illecebrisque, tuis omnis natura animantem

Te sequitur cupidē, quo quamque, inducere pergis;

Denique, per maria ac montes fluviosque, rapaces

Frondiseraeque, domos avium, camposque, videntes,

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem &c.

Quid tum postea verò? Eadem ratione, qua Divorum *Esaia Petri*
& *Pauli* Spiritum & *evēgyeion* Tullianā nihil inferiorem credimus;
licet non ad Romanos, sed ad Judaicam plerumque plebem verba
fecerint: eadem, inquam, ratione hodiernorum Theologorum,
facundiam & spiritum nequaquam cedere cogitandum est. Mor-
nax *Esaia* stilum Ciceroniano multo praestantiorē evidentē
monstrat: & Scaliger D. Pauli stilum multo diviniorem & effica-
ciorē, contra *Eraimi* sententiam evincit. Quam putatis fuisse
excellētiā, qualem vim Petro: cum unā concione tria infidelium
millia ad eum permovit: ut abnegatā superstitione paternā, Christo
nomen extempore darentium? Quae ita à me dicta, à vobis accepta
velim

D

41

13.

Plus.

Lucret. l. 1.

de verit.

Rel. c. 26.

Orat. 1.

contr. E-

rasm.

Ath. 2. 137.

41

velim : non quòd cum divinis illis verbi Θεοπνεύστῳ Organis nostros Theologos comparem : sed quòd planum faciam, nec horum nec illorum eloquentiam ex Auditorio æstimandam esse. Concludamus ergò, licet talem, qualem C. cero quondam habuit, occasionem ad dicendum nostrates non habeant : habere tamen aliam ; si non grandem, at meliorem : si non in foro, at in templo : nisi ad Romanum populum terrarum dominum ; at apud Sanctos pios & Electos : nisi more pompâq; Romanâ, at more & modestiâ Christianâ : nisi sermone quoque semper latino ; at lingua cuique saltem vernaculâ. Eat nunc, qui volet, & Ciceronis, eloquentiam cum hodiernis comparandam neget : cum utrobique non attem solam eandem, sed occasionem etiam non omninò disparem videat.

Nemini autem mirum videri debet : quod promiscuè linguas alias in hoc Eloquentiæ theatrum producam. Ipsa ratio suggerit : longè diversiorum rerum, quàm instrumentorum, quibus rerum tractatio in. iget, conditionem esse. Quid tandem linguæ aliud, quàm rerum tractandarum instrumentum ? Ergo ubi quis Eloquentiæ præceptis probè instructus, exercitationeque confirmatus fuerit : si res jam ordine debito conceperit, quid interest, Græcè id, an Latinè, Germanicè, an Gallicè e. pediat ? Modo partes Oratoris justè exsequatur, numerosq; pro virili absolvat, nihil ob stare certum est, quò minus Eloquentis titulum quavis in linguâ sit consecuturus.

In Africa recessu Gentem eff. Geographi scribunt, quæ veracundia causâ, os perpetuo obnuprum testumque gerat : simili insania sibi suaq; Genti os obnuberet, & obturaret. qui vernaculæ linguæ nullam Eloquentiæ adipiscendæ laudem ; omnem soli Romanæ acquisitum iret. Cujus auribus non insonuere dudum illa Svadæ Gallicæ & Italicæ blandimenta : postquam, ex linguæ, memorabili suorum hominum curâ & stilo in eum nitorem evectæ sunt : ut cum reliquis cunctis certare queant. Non hîc laudabo Dantem, Boccacium, Petrarham, nec Spinaum, Mornaum & alios, quorum oratio omni symphoniâ blandior ; omni nectare dulcior. Ut frustra Gothi in excidium Romanæ Gentis & Linguæ conspirasse

feseq;

Camer. bor.
p. 3. c. 65.

feseq; armasse videantur. Quid? Ne Gothis quidem lectissima ingenia defuerunt : quasi decrevisset Natura (ut argutè Bodinus) scientiarum vulnera ab iis à quibus illata, sanari oportere. Et quid de nostrâ Germanicâ dicam ? Quàm hodie culta, terfa, polita, & ad dicendum, persuadendumque, non minus, quàm principes linguæ, efficax & idonea ! Si quis dixerit, tanto motu & vehementia ardoreque hodie in vernaculâ linguâ, in publico neminem, facturum verba ; quâ fecisse Ciceronem constat : is fortè omnes hujus seculi Oratores, eorumque actiones, innumerato non habet. In eam certè spem plurimi instituuntur & educantur. At enim Literatorum copia facit ; ut si qui excellant maxime ; in numero tamen non sint, nec in fastos censumve referantur. Si exempla desiderantur : quos potissimum nominem, nisi eos, à quibus in sublimi positus reliqui exemplum capiunt ? At quis nescit *Serenisim. Magna Britanniæ Regem, Jacobum* in Parricidarum potestate, jam circumventum, solâ Orationis vi, ad necem inferendam immitti sicarii impetum retudisse ? Quis nescit, quâ verborum efficaciam *Jhus. Hess. Princeps Mauritius Dn. meus Clementis S. Seculi hujus Phoenix* non immeritò dictus, tumultum sub Reformationem Ecclesiarum Marpurgi exortum restinexit ? Erasmus, si bene memini, Italum quendam laudat : qui non modò Auditorum affectus in potestate habere creditus ; sed insuper pignore interposito certare cum honesto doctoq; viro, se lacrymas ipsi postriduanâ concione prolestantur, sit ausus : idq; die dictâ factum, addit. Nec tacendum puto illud Silesiæ nostræ ornamentum Palatinatusq; delicias *Scultetum*, qui & Theologi summi, & Oratoris nomen meretur ; τὸ καὶ διὰ γλώσσης μέλιτι & γλυκίων ῥέει αὐδῆ. Quanto ille animo, quantâ gratiâ & pollentiâ ad dicendum surgat : fortasse ex vestro numero testes produci possunt locupletissimi. Credo similia essent, & num præstantiora ? si quis inquireret. Hîc a. inquirere & producere Anglos, Belgas, Gallos, Italos propriæ linguæ artifices si vellem, varendum esset, ne immensū oratio proveheretur. Illud præterire hîc sicco pede non possum : post mirandam linguæ latinæ *καλιγγενεσίας* reperiri viros, qui quod alii in patriâ ; idem in Latinâ linguâ

In Eccles.
l. 3.

Hom. II. c.

præsent. Qui fidem habere veretur: conferat quæso *Sylvium, Phil-
lelphum, Politianum, Picum, Beroaldum, Iovium, Scaligerum, Budeū,
Erasmum, Lipsium, Thuanum, Casaubonum, Cluverium, Barclay-
um, Heinsium, Baudium*, addo *Calvinum, Bezam, Tilenum*, cum
scriptis Ciceronianis, Salustianis, Cæsarianis, Plinianis: conferat &
æquo animo ponderet: revera inventurus non lacte lacti, ut ille
apud Comicum ait, tam simile, quàm demtis titulis auctorum, col-
locationem rerum, verborumq; fore. Nec refert, quod commen-
tationes sint, non viva verba. Præter istos Stili magistrōs etiam *Mu-
retos, Sturmios, Reusneros, Kirchneros* ostentare possumus: sed &
Principes & Reges eloquentissimos. Nolo a pluribus, quæ quidem
enucleatè adduci possent, molestus esse: Jam n. plerōsq; vestrum
respicere terram video.

Antequam tamen vela contrahamus; aliquorum præjudi-
ciis occurrendum est: ut iis remotis prosperior ad portum cursus
contingat.

Esto inquam, verbis rebusq; hoc seculum abundare; etiam
ingenium, iudicii acumen, virtutes, vocis & laterum firmitatem à
Naturà multis tribui, præceptis naturalem aptitudinem educi &
formari, exercitatione absolvi: at *ars tamen tota Tullio ut parenti &
Magistro accepta ferenda*. Quid verò si Græcia Demosthenem suum,
Isocratem, Platonem, Xenophontè, Aristotelè & cæteros mitteret:
qui eadem ratione Tullium ipsum repetundarum postularent? Si cui
de imitandi ratione veteribus solita parum constat is Macrobiū
consultat: ibidem reperitur, quantum verborum & rerum Maro-
mutuo ab Homero accipiat. Horatii furta Scaliger, quæ plurima de-
prehensum iri scribit: si Græcorum Lyrica exsisterent. Quid? Livius to-
tos è Polybio libros verit. Ut a: odiosa hæc missa faciamus: ita di-
vina providentia æternitati rerum prospectum voluit: ut una gens
alterius, dies diei magister & in omnibus quædam vicissitudo, di-
vinæ perfectionis, argumentum esset. *Περὶ τῶν δευτέρων σοφώ-
τερας*. Et verissimum in vulg. ore verbum: inventis facile est ad-
dere. Id omnium artium & disciplinarum complementa docent: et
si optima suo quæq; tempore habeantur: posteritati tamen multa
ex his corrigenda relinqui.

Nunquam

Nunquam ita quisquam subductâ ratione ad vitam fuit:

Quin res ætas usque semper aliquid apporet novi:

Aliquid moneat, ut illa, quæ te scire credas, nescias:

Et quæ tibi putaris prima, in experiendo repudies.

*Multa renascuntur, (canit Venusina Siren) quæ jam occide-
re: cadentq;*

Quæ nunc sunt in honore.

Quod ergo à Græcis Cicero habuit: quis illud nobis invidet?
Apes miramur, quod è floribus mella conficiant: cur non etiam
imitemur, & quod Græci, quod Latini literis prodidere, sedulæ
instar apes delibemus, inque sanguinem & succum nostrum verta-
mus? Satis autem demonstratum esse autumo; hodie adhuc ingenia
veteribus paria in dicendi facultate reperiri. Id solummodo nunc
restare video: postquam de Oratoribus dictum, ut de Poetis etiam,
quod proposui, expediam.

Sed quia jam medius curtas Sol colligit umbras. Et vobis, be-
nevoli Auditores, non nihil fessis, molestia ex sedentariâ ista audi-
tione contracta, inaccessu excutienda viderur: quia etiam omnia ista,
quæ ἐν πλάτῃ de Oratoribus dixi, ad Poetas referri possunt & de-
bent: de re nota verba facere plura super sedeo: id repromittens,
si vitam & occasionem Deus dederit, deincepe curâ & operâ me ipsa
Oratorum Poetarumque scripta è diametro collaturum, & imi-
tandi rationes velut in tabellâ exhibiturum: ita ut vadimonium non
deserere, sed differre videat. Cæterum si quis pedè presso urgeat,
ut saltem levi digito & per transennam, ista ingenia monstrum,
quæ hodie *Virgilio majestatem, Horatii venustatem, Ovidii elegantiam,
Martialis leporem, Terentii politiam, Plauti mulcedinem* repræsen-
tent: agite periculum fiat. Ante tamen, non de verbis, velut de Pa-
ridis pomo, aut lana potiùs caprina fieri iudicium, protestatus: quid
convenient Poetæ, quid discrepent in iudicio prudentia & gratia,
παρόδωι indicabo. Comicis ergo, ut inde initium faciamus, sed &
Tragicis novum Tragico-comœdiarum genus opponimus: in quo
principem locum tuetur *Ioh. Baptistâ Guarinus*, celeberrimâ illa
Bastore fido, immortale nomen meritis. Hunc tæxenti secuti festi-

*Terent. A-
delph.*

de Arte.

*Plut. de
Audit.*

villima id genus poemata condidere. Non audio, qui peregrinitatem linguæ, nec qui novitatem inventi obijcere pareat. Cuius enim linguæ (nisi Lapponum sit forsan vel Brasilianorum aliarumve incultarum gentium, quæ fremere magis & grunnire, quàm loqui videntur) eloquentiam competere, jam ante demonstravimus, & experientia clamat. Terentias certè & Virgilius non quod latinè, sed quod metricè scribunt, Poetarum titulos consecuti sunt: eoque; alius linguæ scriptoribus, si & ipsi metricè & ex præscripto legæ Poeticarum scripserint, eundem titulum minimè præripuere. Ecce nobis etiam non sit integrum scenæ modum & apparatus mutare: cum olim tria dramatum genera numerarint: èq; contemptis initiis, immò è conviciis nocturnis Comædiam in lucem theatralè produxerint: inq; dies magis & magis excoluerint? Afferrem venustissimam & divinam quædam, Socrate auditore & Augusto & Antonino Philosopho digna ex Auctore pridem laudato: nisi eum laborem aliò rejecissem. Quid si *Frischlini* quædam numerem? Omnia n. illius non possum probare, nec alii probant. Possemus etiam *Buchanani Jephthæ* & *Baptisten* & *Beza Abrahamum*; & *Crispum Stephonis* eadem fronte, quâ forte *Amphytruonem* Plauti, *Phormionem* Terentii, *Oedipum*, *Senecæ* spectare. Porro *Martiali Ovenum Angli* & *Italos* quosdam; *Ovidio Secundum*, *Douzam*, *Strozam*, *Heinsium*, & innumeris; *Horatio Buchananum* & *Melissum*; & elegantissima *Baudii* poemata; Maroni (ignoscite magni viri manes, quibus Scaliger aras ponit) eundem cum *Majore*, item *Sannazarium*, & hujus iudicio meliorem *Fracastorium*, nec non *Tassum*, *Ariostum*, & novissimè *Bartassum*; omnibus Phœnicem literarum *Scaligerum* opponimus. Quod n. non sine miraculo ipsi veteres audierint; reperire hodie est, qui non Heroica tantum pangant: sed insuper epigramma lepidum, & odam venustam, & jambos teretes ludant. Quantum assurgit *Baudius* (ut virum iterum laudem) in Heroicis! Quàm verò molli & decore numero in Odis decurrit! Quàm gravi tersoque stilo Jambos persequitur! De Xeuxe memoriæ proditum, quod Junonem picturus, Agrigentinis puellis cunctis inspectis quinque; præcipuæ pulchritudinis elegerit, è quibus; quod in unaquaque singulari

in Hyper.
fin.

gulare, imitaretur. At si quis *Scaligerum*, si *Baudium* (quid Belgas peregrinæ Eruditionis parùm æquos æstimatores; quid exteros solos nomino?) si quis ingenii factum nobilissimum *Magnif. Dni. Sculteti S. Palatii illustris Comitæ* Patroni honorandi, inspexerit remque subductis calculis æstimaverit; nã is in singulis, velut in Xeuxis Junone deprehendet, quod in multis veteribus dispersum. Hinc videre est: quod nostra ætas, cum Poesin tanquam egregiam picturam accepit, (lubet Augustini verba huc commodare) eam vetustate evanescere non sit passa; sed coloribus iisdem, quibus fuerat, renovaverit, formamque; & omnia lineamenta florida & vivida posteritati jam transmittat. Cui sententiæ si quis accedet: re ipsa pervidebit, re ad examen deducta, posse hodiernos Literatos non solum, cuicumque; veterum in quovis genere non absurdè comparari; verum etiã aliquibus anteferri. Nos præcipuos Latinorum nominavimus: eodem de cæteris sive Latinis, sive Græcis iudicio futuro. Quemadmodum *Eryngium* herba uni capellæ in os sumta, primum istam, mox totum grex sustinere dicitur. Ita de Cicerone Virgiliove Principibus iudicium reliquam turbam eidem obnoxiam reddit. Sin verò quis fuerit (quæ ex vestro tamen numero fore non spero) qui nullam Parallelorum ratione habitam nec iudicio ad Veritatis normam formato, nihilominus inprobe clamet: *Veteres florere, Veteres triumphare; hodiernos in nullo numero, nec comparandos cum extremo veterum esse*: is, me monitore videat, ne cum Vulgo Atheniensis turpiter errorem iudicii sui fateri & ridere cogatur. Erat celebris Athenis histrio, nomine *Parmeno* qui sicta voce verum suis grunnitum adeo imitabatur: ut in proverbium res abiret. Ut sit, alii eandem Populi acclamationem æmulando meritori, studio idem exprimere sunt conati. Sed industriam tamen eorum populi mos, favore *Parmenonis* jam occupati, sefellit. Bene quidem, dicebant de istis: *sed nihil ad Parmenonis suum*. Accidit autem, ut versutior quidam ex histriorum farina, spectatorum vanitate redarguturus, & sibi Sociisq; manifesto populi pudore litaturus, porcellum vivum sub pallio inferret: cumque verum porcellum grunnitum, homines nihilominus dicerent, nihil ad *Parmenonis* lucem esse, tum ipse uno impetu projectum porcellum, & simul totius

l. i. c. 21. de civit. Dei.

Plut. Max. cum Princip. cip. viris Philos. distat.

Plut. Sym. post. q. i.

tius populi turpem errorem detexit. Continuus in nivem sive refu-
 gentem quemvis candorem obtutus ita oculorum aciem obtundit:
 ut isti nec de auri purpuræ colore, nec de solis luce rectè judicent.
 Palatum absynthio tinctū, si mel & saccarum infuderis, nullā dul-
 cedine hinc perceptā, amarorem dominari patietur. Simili perversi-
 tate de suo seculo judicabit: cujus animus favore veterum fasci-
 natus, iudiciumq; præiudicio amarulento corruptum est. De tali-
 bus graviter Mirandulanus: *sunt inquit, multi: qui in scriptorum col-
 latione non tam expendant merita, quam annos numerent: jubentq;
 alios, ut priscos legant cum reverentia: coartatos ipsi legere non possunt
 sine invidia.* Cæterum omnes doctos Bonosq; testari lubet, & solen-
 niter protestari: me in iis, quæ hætenus in comparationem dicta
 sunt, veteribus nihil detractum ivisse: nedum efficere cogitasse, ut
 Juventus lectione veterum neglectā, recentioribus inhiet. Immò
 adhortor omnes & singulos, ut humanæ Sapientiæ & Eloquentiæ
 undas è limpidissimis illis fontibus Veterum unice haurire institu-
 ant; recentiores autem in eum usum habeant, tanquam succedane-
 os: ut in iis rationem imitandi deprehendant. Quam Ciceronem
 æstimem: non refert dicere: cum supra ferè prolixius, quàm tem-
 poris, quo circumscribimur, angustia patiebatur, in laudes eius ex-
 currerim. Non ignoro, Ciceroni adversarios in literis & Obtrecta-
 tores multos fuisse. Seneca Rhetor *Calvum* quendā, Gellius *Gallum*
Asinium, & *Largium Licinium*; Politianus *Argyropyllum Byzantium*
 nominat. In dialogo de Oratore Cicero inflatus tumens nec satis
 pressus, supra modum exultans & superfluens quibusdam dictus;
Calvo solutus & ex sanguis; Bruto fractus & elumbis visus indu-
 citur. Omnibus effertior *Petrus Quinqueranus Bellojocani Episcopus*, multis contumeliis in optimum Ciceronem invehit, & modis
 indignissimis proscindit. Apage istos Cicero-mastygas, ut Gellius
 notat, prodigiosos & væcordes: dignos certè, ut ceu novi Castri
 Ciceronis filio, lætæ majestatis Tullianæ meritas dent pœnas. Cum
 n. Castius iste apud Ciceronem Juniorem, Asiā tunc obtinentem
 cænaret, Cicero alioquin stupidus & memoriæ minus firmæ sapi-
 uscule quis esset, qui in imo recumberet, quæ sivit: cumq; servus de-

l. i. Epist. 2.

l. 7. con-
trov. 4.

l. 17. c. 7.

Lamiscell. c. 1.

de laud.

Provinc.

l. l.

Senec. Rh.

Suas. ult.

mum, ut memoriæ Domini notam faceret, addidisset; hic est Cæ-
 stius, qui Patrem suum negabat literas scisse; tum protinus flagra-
 expediri Cicero iussit, & Parenti, ut oportuit, de corio Castii egré-
 gie satis fecit. Tu verò, divine Tulli, vive, flore, triumphā. *Quoad
 humanum genus, inquit Arellius Fuscus, incolume manserit; quamdiu
 usus literis, honor summa eloquentia precium erit, quamdiu rerum na-
 tura aut fortuna steterit, aut memoria duraverit; admirabile posteris
 vigebit Ciceronis ingenium. Ille se profecisse sciat, (audite judiciosissi-
 mi Rhetoris iudicium) cui Cicero valde placebit.* Concludimus ergo
 cum Alciato] Cto celeberrimo: Ciceronis (addo, & Virgilio & reli-
 quorum Veterum) auctoritatem & majestatem apud omnes, (sal-
 vo cujusvis jure;) sacro sanctam esse debere.

Quint. l. 10.
c. 1.

Quod autem oratione hætenus bene longā asseruimus: non
 solos Veteres in eo Regni fastigio positos; sed Collegas iis ex omni
 ætate adsciri: id unumquemque inflammare meritissimò debet: ut
 Veterum scripta, unde tantum decus competit, irremissā diligentia
 evolvat: utq; tantò majore conatu, tantò concitatore cursu per la-
 boris portas ad sublime illud Honoris templum contendat: & si
 non primas cum primis; at secundas cum secundis, aut saltem ter-
 tias obtineat. Postremò Columellæ insignem locum appendere
 placet: *Latiæ Musæ, inquit, non solos Adytis suis Accium & Virgilium
 receperit: sed eorum & proximis: & procul à secundis sacras concessere
 sedes. Nec Brutum aut Calium Pollionemve cum Messalā & Catulo de-
 terruere fulmina illa Ciceronis. Nam neq; ille ipse Cicero territus cesserat,
 tonantibus Demostheni Platoniq;: nec parens eloquentiæ Deus ille Mæo-
 nius vastissimis fluminibus facundia sua, posteritatis studia restinxerat.*

l. i. de rust.

Quare agite, *Juventus florentissima*: ad vos postrema verbo-
 rum fiam: vires ponderate vestras, Naturæ ingenique dona exci-
 tate; Præceptis Magistrisq; utimini: Ciceroniana & alia Vetera scri-
 pta legite, volvite, terite: etiam exercitatione assiduā, Præcepta &
 lecta ad usum transferte, omniaque in succum sanguinemq; conver-
 tite. Nulla hic difficultas, nulla remora cursum tenere vestrum po-
 test. Hoc tempore, quo literæ incredibili ubertate florent; quo me-
 dia ad omnem eruditionem consequendam promptissima; Deus opt.

E

max

max. vos natos voluit: de quo non minus, quam Philippus nato Alexandro gratulari vobis debetis. Audivistis nemini Literatorum ad summum Eloquentiæ gradum, modò eminere nitatur, viam præclusam; audivistis hoc & superiori ævo vobis exempla affulisse eximia. Immo in illustri hoc confessu, quaqua versus oculos vertatis, nil nisi viva Eloquentiæ & Eruditionis exempla cernitis. *Magnum in primis virum. Dn. Christophorum Georgium à Berge in Herndorff & Claden, Bura Freivalda Leipag, Dominum, Regiumq; ducatus Glogovici Judicem: inde Magnif. ejus. Germanum. Dn. Iohannem à Berge in Herndorff & Neugabel Patronos meos & multorum apprime honorandos: & quot porro ab utroq; latere omnes triarios antesignanos aut Centuriones! sed & eos.*

Crescit inoffenso quorum sub fidere virtus.

Præterea cernitis quo animo, quâ munificentia Generosissimus noster Patronus, utilitati vestræ prospectum velit: cernitis quâ promptitudine & benevolentia vobis Præceptores adsint: quâ curâ, in quam spem vestra studia alant, augeant, ornent. De me non est ut amplius promittam: cum ipsa Jurisjurandi religio vestris me totum commodis obstringat. Vestrum est divitiâ ista beneficia, nostraq; merita æquo agnoscere animo: & occasione tantâ tam liberali, tam operatâ bene, bene uti. Ita demum futurum confidimus: ut id, quod verbis ostendere dudum

conati sumus, vos olim re ipsa con-

testatum toti Mundo

relinquatis.

Dixi.

LECTORI S.

ORationi auspicali *πρόγραμμα* istud, quo S. P. Q. Reipubl. literariæ ad auditionem primitus invitaveram, subjungere non absurdè posse, visum fuit: cum quod similis argumenti; tum, quod instituti nostri præliminium quoddam, & auspiciam sit. Quantumvis nolim dissimulare: in eo me futuri Systematis Oratorii mentionem & spem fecisse: sed quin è vestigio fieret: per me hæcenus non omnino fectisse. Operis arduitati superiorum monitu obnunciatum est: & interea dum librariâ Supellectile auctior fram, demandatâ, ut operas Oratorias & Poeticas nihilo secius urgerem. Quod ita exsequi placet: ut bihorium primû Livianis Orationibus, quas divino operi ceu gemmas insertas habet; alterum Odis Horatianis impertiam. Insperatum & ferè *ἀνίστιον* (nam secundum systematis regulas, velut Ariadnæ filium, ducere viam ante meditabor) sed non, ut opinor, infrugiferum institutum. Utrobique enim post paraphrasin unam atq; alteram, analysis Logica, Rhetorica & Grammatica expeditur. Inde Practica eruuntur præcepta, adhibitisq; è sacrâ, profanaq; historiâ Exemplis illustrantur. Demum usus ostenditur tam in stilo formando, quàm in iudicii acumine firmando. Illud vel singulis Oratiunculis sive Parodiis etiam; vel conjuncto aliquo Actu in personarum officia distributo efficitur: hoc verò disputatione: quâ problematum è lectione propositorum fides, ceu jucundo aliquo umbratilis velitationis agone, vindicatur. Quam melleam, quamq; fructuosam, sementis ista sit præbitura, penes Iehovam opt. max. est: qui ut in hunc nos hortum deduxit, ita

Clementem mittet pluviam, floresq; rigabit.

ὁ δ' ἤπειθ' ἀνθράποισι

δεξιά σημαίνει, λαίς δ' ἐπιέγγον ἐρείξει.

Equi boniq; ergo, mi Lector, consule quicquid primitiarum offertur. Cæterum quod promissi vadimonium, nequaquam deferam, sed suo tempore, ut par est, sistam. Vale.

Arat. Phœnom.

J. MELI-

J. MELIDEUS

Orator & Poëta Schönai-
chianus, Lecturis S.



*I*qua alia Lingva: (Sanctam venerabundè excipimus) cer-
tè Latina in sui admirationè universos Literari Orbis Ci-
ves rapere jure merito debet. Duas potissimum assignamus
rationes: γένην perfectionemq; illo prisco Seculo ardu-
am; & hoc nostro mirandam πάλιν γενεσίαν. Ab initio
enim à Matre Græcà in exiguam Latii oram exposita: posteaq; ut
erat rudis, sterilis & incomposita, severis à Rom. Populo cancellis adeo
cohibita: ut vix finitimis etiam Cumanis petentibus (Livio teste) per-
missum: ut publicè latinè loquerentur. Præconibusq; latinè ven-
dendi jus esset. Ubi demum deductione Colóniarum, Civitatisq; do-
natione ad alios Populos prosperè emanavit: incredibile quantum fa-
voris & gloria, ubique terrarum, non longo temporis intervallo acqui-
siverit. Tunc Patres Rom. tantum aberat, ut faustus suæ lingvæ lumini-
bus officerent: ut potiùs severitate pristinà in benignius consiliùm versâ,
intentissimo studio cogitarent: quâ ratione Latinæ vocis honos (ita
Val. Max. exprimit) per omnes Gentes venerabilior diffunderetur:
id procul dubio, quod olim Græcorum res auxerat; ornaveratq; equè
nunc in Rom. Orbe experturi. Consiliùm istud Fortuna nequaquam
desiit. Legionum equidem præsidiarie stationes terrori erant: sed Le-
gum rituumq; participatio, Lingvæ deniq; latina, etiam ultra Imperii
terminos exundantis, commercium, in star Circæi delenimenti, Popu-
lorum mentes Urbi Dominæ, arcanâ quadam religione ita devinxit: ut
Orbis Rom. indies magis magisq; coalesceret. Hinc evenit, cum jam
Latinitas in star regia puella in decora maturitatis & stupenda Ma-
jestatis fastigium, aureo Ciceronis stilo, & Impp. quorundam Civi-
umq; accurratione multa, me DEUS, & laboriosa
suecità esset: ut innumeri Amatores; Asia an Africa, Græcia celo, an
Celticis angulis sui ortum deberent, non asimato; modò

—queis

—queis riferat æqvus

Jupiter, & cerebrum dederat meliore metallo;

certatim huic se Diva dederent. Demumq; invaluit, non jam opidis mo-
do, sed totis populis in Civitatem adscriptis: ut & turpe Civi Rom. Ro-
manam lingvam nescire, & periculosum esset: exemplo splendidi
Græciq; Principis Viri, quem Claudius Imp. quod Latini sermonis
igna rus esset, non tantum albo Judicum erasit; (verba Svetonii) sed
etiam in Peregrinitatem redegit. Ac quanquam hujus Lingvæ Pa-
rentem, Græcicam innuo, sui non deserebant Cultores: Filia tamen
vividus vigor non parum maternæ famæ obstruxit. Plutarchus certè
Romanâ linguâ omnes ferè Mortales usos memorat: quod singularis
beneficium loco censendum Plinius monet: quod tot Populorum discor-
des feræq; lingvæ sermonis commercio ad colloquia contractæ, &
humanitas hominè data sit. Quis ergo ἐπιπέριον instituti istius
Rom. non miretur? Restat tamen alterum; quod diximus, longè ma-
jori admiratione dignum. Declinante jam Imperio: dum Gothica ar-
ma, & his crudeliora semibominum Nugatorum deliramenta Latium
illud elegans tot annos miserè fadèq; lacerarent: quis, dum στυχεοί-
μυς lingvarum & Imperiorum periodicos in numero habuisset,
non exclamasset, actum esse de Latinitate? Hæc tamen, en Fati in nos be-
nignitatem! velut sol post nubes, aut thesaurus inter despecta rudera
transierat latitavit: donec & suis met radius, & indagatorum indefessâ
operâ, postliminio quasi Evo & Orbi fuerit reddita. In quem florem
reeffloruerit; in quam gloriam & splendorem, succenturiatâ tot σολ-
δειτ ἀγγών industria; proximo Seculo restituta sit, curvis ἐν αὐτοψία
cernere est. Non Italia sola; non proxima ei Gallia; sed nostra Germa-
nia, horridâ illa & aspera; sed & barbarâ olim dictâ talem tantumq;
Eloquentiæ Rom. triumphum, de Barbariè subactâ, dudum adornat:
ut ipse Eloquentiæ Pærens si in luminis oras rediret, obstruere. Quid
autem cultissima Germania? In hoc ejus angulo, cernere, quo apparatu,
quâ munificentia; Eloquentiæ Lingvæq; Latinæ Templâ surgant! Tibi
id debemus; Tibi acceptum ferimus; Illi is & Generosus Domine,
Dn. G. Schönaichi, noster & Mûsarum Evergeta Clementis; Tibi
quicquid in hoc artium novali seritur; cum fanore perpetuo metetur:
Tibi

Tibi pro tanto beneficio, priscorum Heroum monumenta multis para-
sanguis post se relinqueret, uniuersus Senatus Populusq; Literatus assur-
gunt: Tibi salutem & incolumitatem perennem ex animis precantur;
& quae sunt fausta bonaq; verba acclamant omnia. Ipse ego in super,
quod me hujus Sacrae collegam minimum esse benignissime volueris,
gratias submisit agere, de redhostimento totam vitam sollicitus futurus:
& illud, quod juris-jurandi sanctimonia in aurem continuo ingerit pro
virili praestiturus. Quod igitur F. F. Q. sit: propediem Oratorias
operas auspiciaturus; quia Oratoria & Poesi multa Communia; eadem
primum una, ut sic dicam, fideliter de alio: inde quod utriusq; peculiare,
in cuiusq; delineaturus: ut sic via ad Auctorum Analysin muniatur:
postmodumq; in ipsa Praxi colorum pigmenta felicius adhibeantur.
Ejusce rei gratia, cras DEO secundante, pignoratitia habebitur Oratio:
ad quam more & formulae solenni, Vos Patres Civesq; Literatos om-
nes & singulos decenter invito. P. Bethania ad Viadrum, IV. Non.
April. An. Chr. MD CXXVII.

DN.

V. CL^{mo}
Dn. JONAE MELIDEO

Illustris Schönachiani Poetae & Oratori.

Cum praefcis, Melidee, viris contendis, & avi
Te clarat docti pagina decta Virum.
Non efforta suis Natura aut viribus orba est:
Parturit & nobis & polit ingenia.

Caspar Dornacius.

Ad Cl. V.

J. MELIDEI ORATOR. ET POES. PROFESS.
in illustri Gymnas. Schönachiano Collegae, fratris
loco colendi

Orationem inauguralem.

Ergo plena sui nunc porro turgeat aetas:
Prisca, & se nasum sola tenere putet?
Ergo sola queat nobis ostendere Flaccos?
Ergo Virgilios sola crepare queat?
Fallitur. Et nobis sunt Numina tanta, Poeta
Nempe pares Flacco, Virilioq; pares.
Nam qui effatum adeo nostri sit temporis aequum
Ut nihil eximium gignere & acres queat?
Diues adhuc hodie est donis Natura Genitrix
Et varia in variam munera mittit humum.
Excute, quae scripto prodit Melideus acuto:
Excute solerti quae ratione probat:
Ac refer, anne illis dubiam palmam ista relinquant:
Secula? decisa est tuis, Melidee, tibi:
Atq; ita decisa est Melideo a Iudice tuis haec:
Litum ut nunc ponat tempus utrumq; suum.
Scilicet haud potuit quisvis è plebe Poeta;
Verum cui mater Musa, & Apollo pater.

IX. Kal. Maji An. Chr. MD CXXVII. F.
Balb. Exnerus de Hirschberg Historiar. P. P.

J. MELI

J. MELIDEO V. CL.

Poetae & Oratori excellenti :

Cum hodiernos Oratores & Poetas antiquis contulisset.



Is trahitur binis doctorum natio sectis :

Hæc vetus eloquium dejicit, illa novum

Nil Criticæ felli, nisi sæcula prisca probantur ;

Rhetoras & Vates sola tulere bonos.

Ecce Poëtastris quæ stat sententia nostris !

Nos sapimus ; veterum carmina rancor habet.

Error in utroque est ; *Jona Clarissime.* Sed tu

Ad pacem lætas tollis, Amice, faces.

Antiquos colimus submissis fascibus ; ætas

Non tamen ex ausis excidit ista suis.

Omnibus ex merito pretium est. Laudare solemus

Sic nummos Veteres, nec reprobare novos.

Martinus Opitius.



BALTH. EXNERI DE HIRSCHBERGA

Professoris Historici,

DE RERUM.
REGNORUM, IMPE-
RIORUM CONVERSIONE
ET EVERSIONE,

ORATIO.

In illustris Gymnasii Schön-
aichiani,

Publica Panegyre recitata.



BETHANIAE,
TYPIS DÖRFFERIANIS.

Mf. 41206

M e l i d e u s Jonas

Parallela oratorum poetarumque veterum et hodiernor...
á J. Melideo... III. Non. April. An. Chri. MDCXVII
Bethaniae ad Viadr., typis Joh. Dörfferi, typographi
Schönaichiani, [1617]. 4^o

Wrocław BU 426424

~~MIKROFILM~~ 33 mm

negatyw 149 zwł

pozytyw — zwł